



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Ornamenta pueritiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ibus; & tibi minùs placuissent Apollinis citharæ, sagittæ, lusus: Zephyrique blandi susurri. Te corculum suum appellabant, ut tibi vitam eriperent, alter jactu, alter flatu: à lætis principijs, quàm tristis exitus! Quàm multi generis hujus flosculi in stygio torrenturclibano, quorum perpetuum *ai ai*, seu *væ, væ!* inter infelices umbras, & umbrarum pœnas resonat.

V. (e) Et quia *Narcissus* & *Hyacinthus* sunt amabilia puerorum, ut diximus, nomina, locus hic monet, ut de pueritiæ ornamentis aliquid meminerimus. Inter ea, laus est præcipua modestiæ, verecundiæ, innocentia. Sicut ex aquis resplendet vultus, ita ex vultu animus. Index horologii loquitur, quales rotularum intus sint conversiones & revolutiones. Siracides ait cap. 8. *Sapientia* (id est probitas & innocentia) *lucet in vultu ejus*. Verecundia in moribus est tanquam gemma rutilans, pudicitia comites, naturæ commendatio, famæ custos, virtutis decus, honestatis nota, innocentia testis, ornamentum vitæ, rerum decentium honestarumque procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Hujus color est pulcherrimus, ut accepimus interrogatam respondisse filiam Aristotelis Pythiadem. Est quippe virtutis color, uti confirmabat Diogenes, cum verecundo rubore perfusum adolescentem intueretur. Et profectò nihil fieri potest pudibundo adolescente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, magis se prodit hic affectus: propterea quòd & tenera frons est juvenum, pudoris sedes; & calor aliquantò major, qui sese cum sanguine in faciem spargit, quoties erubescunt. Præterea in corporibus naturaliter venustis ac decoris, nescio quomodo magis decora, magisque pulchra est verecundia, & veluti ars probati artificis in materia commodiore ac meliore perfectius eminet, atque elucet; non secus, atque ebur inclusum auro, aurum gemmis, duplici splendore clariùs enitescit. Accedit formæ & verecundiæ tertium decus, mundities cordis. Præclare S. Bern. tract. de ordine vitæ, sive de doctrina pueorum: Pueri, inquit, à puritate dicti sunt, & decet, ut regnet in eis simplicitas, & innocentia, & puritas, hoc est, virginitas; cum his crescant, & in his perseverent, ut mereantur sequi *Agnum*, quocunque jert.



SYM.

(e) Ornamenta pueritiæ.